

DISPUTATIO XIV.

De peccatis commissionis & omissionis.

PRæter ea, quæ dicta sunt disputatione III. de voluntario directo & indirecto sive de commissione & omissione, prout dicunt ordinem ad voluntatem & hic recolenda sunt, nunc expenditur malitia actûs & omissionis.

QUÆSTIO I.

An peccata commissionis & omissionis ex eodem motivo sint ejusdem speciei.

Suppono: peccatum commissionis est actus quidam positivus, quo aliquis agit, quod ei prohibitum est agere, ut: occidit, furatur, mentitur &c. Peccatum omissionis est prætermisio boni, ad quod aliquis tenetur, ut: obligatus restituere non restituit. Dum urget præceptum eleemosynæ, quis non dat eleemosynam. Prius repugnat præcepto negativo, non retinendi alienum, posterius affirmativo.

DICO. *Si loquamur de specie peccati omissionis & commissionis materialiter differunt specie... Si autem loquamur de specie peccati omissionis & commissionis formaliter sic non differunt specie. S. Th. hic Q. 72. a. 6. O.*

Probatur 1. pars: Quod ommissio & commissio distinguantur specie materialiter: commissio est actus, ommissio est privatio actûs, ideoque se habent velut affirmatio & negatio; atqui affirmatio & negatio differunt specie materiali: quia negatio non est res ejusdem rationis aut speciei cum affirmatione, sicut non videre non est ejusdem rationis cum videre.

Probatur 2. pars. Quod ommissio & commissio non distinguantur formaliter specie: ommissio & commissio possunt ordinari ad eundem finem proximum & ab

eadem motivo procedere, atqui tunc sunt ejusdem speciei formaliter: quia opponuntur honestati ejusdem virtutis. Sic qui ex avaritia furatur aliena & omittit restituere debita, contra eandem virtutem justitiæ peccat. Qui omittit dare necessaria ad vitam sustentandam proli, & prolem suffocat, peccat eodem peccato homicidii.

Obj. 1. Peccata distinguuntur specie formaliter per excessum & defectum: pertinent enim ad diversa vitia peccatum prodigalitatæ per excessum, & peccatum avaritiæ per defectum; atqui peccatum commissionis ex sua propria ratione est per excessum: qui enim committit contra præceptum negativum, excedit faciendo plus quam debet; & peccatum omissionis est per defectum: quia qui omittit implere præceptum affirmativum, deficit ab eo, quod oportet eum facere.

R. Distinguendo maj. Peccata per excessum & defectum distinguuntur specie formaliter, si procedant ex diversis motivis Con. Si procedant ex eodem motivo N.

Obj. 2. D. Ang. 2. 2. Q. 79. art. 1. 2. & 3. videtur ex professo probare: peccatum commissionis & omissionis distingui specie: nam a. 2. probat transgressionem, sive peccatum commissionis esse speciale peccatum. a. 3. Omissionem esse speciale peccatum. & a. 4. peccatum commissionis esse gravius peccatum, quam peccatum omissionis.

R. Distinguendo S. Th. in locis cit. probat, quod peccata commissionis & omissionis distinguantur specie materialiter Con. formaliter N. distinguuntur enim materialiter specie: quia habent diversam rationem, quatenus nimirum in transgressionem præceptum negativum violatur, in omissionem affirmativum, & ita sunt diversa peccata: aliena rapere, & sua non elargiri, quando oportet; si quis tamen ex affectu avaritiæ non solum sua non largiatur, sed etiam aliena rapiat, utrumque

DE P
que illud pec
autem oppo
intra eandem
ra ejusdem sp
differre possur
liter explicari c
turi contrariè
gressio magis
gravius est pe
ceptum Decale
illos non hono

An omnis a

SUPPO: A
S præcepti
cedens omisso
causa vel occa
die festo non
pore sacri stu
ille merè conc
su peccatum ra
incedens est
nimio affectu
DICO, Si
non consistit in
volito, qui est
omissionis non
etiam ipsa om
Sive actus qui
lis est peccatum
Probatur:
omissionis rei
tur id, quod

que illud peccatum pertinebit ad avaritiam. Quamvis autem opponantur eidem virtuti, possunt tamen intra eandem speciem in gravitate excedere, sicut plura ejusdem speciei peccata commissionis in gravitate differre possunt; & ideo in confessione sæpius specialiter explicari debent: quia transgressio opponitur virtuti contrariè & omissio contradictoriè; & ita transgressio magis opponitur virtuti, quam omissio; sic gravius est peccatum contra pietatem aut ⁴ tum Præceptum Decalogi; parentes contumeliâ afficere, quam illos non honorare, dum erant honorandi.

Q U Æ S T I O II.

An omnis actus qui est causa vel occasio omissionis culpabilis sit peccatum?

Suppono: Actus impossibilis cum impletione præcepti affirmativi vel est concomitans vel antecedens omissionem; concomitans est, quando non est causa vel occasio omissionis: ut: quis se resolverat in die festo non audire sacrum; hic, ne sit otiosus, tempore sacri studet. Et tunc certum est, quod actus ille merè concomitanter se habens ad omissionem non sit peccatum ratione omissionis, in quam non influit: antecedens est: si sit causa omissionis; ut: quis ex nimio affectu ad studia omittit sacrum. De hoc.

DICO. Sicut in peccato transgressionis peccatum non consistit in solo actu voluntatis, sed etiam in actu voluto, qui est imperatus à voluntate; ita in peccato omissionis non solum actus voluntatis est peccatum, sed etiam ipsa omissio, S. Th. hic Q. 76. a. 2. ad 3. Sive actus qui est causa vel occasio omissionis culpabilis est peccatum.

Probatur: Velle exercere actum, qui est causa omissionis rei præceptæ, aut ex cujus affectu omittitur id, quod est præceptum, est consentire in omis-

sionem culpabilem: consentire autem in peccatum est peccatum; ideoque quamvis actus ille in se sit bonus, hoc ipso tamen, quo est causa talis omissionis, caret aliquâ circumstantiâ debitâ; cum actus bonus ita fieri debeat, ut non impediatur actum, qui hic & nunc cadit sub præcepto; sicut igitur eventus malus ex actione humanâ consequens, si vel sit præcogitatus, aut per se, aut ut in pluribus, ex tali actione sequatur, reddit actionem malam: ut: incautus iactus lapidis, ex quo sequitur homicidium; ita omisio peccaminosa, si sit vel præcogitata, vel per se aut ut in pluribus aliquam actionem consequatur, illam peccaminosam reddit.

Obj. Si quis ad subveniendum extremæ necessitati alterius omittat audire sacrum die festo, non peccat, quamvis illa subventio sit causa omissionis sacri.

R. Admittendo ant. quia conclusio est intelligenda de actu, qui ita est causa omissionis, ut non tollat malitiam omissionis: quia si actus causans omissionem cadat hic & nunc sub præcepto, & est majoris obligationis, quam actus, qui omittitur, tunc actus, qui est causa omissionis, non est peccatum, ut patet in exemplo proposito.

Q U Æ S T I O III.

An actus ex naturâ suâ bonus, qui est causa omissionis culpabilis, habeat distinctam malitiam ab omissione?

Suppono: Si actus, qui est causa aut occasio omissionis culpabilis, sit in se malus, aut adimat potentiam implendi præceptum, habet distinctam malitiam ab omissione: ut: aliquis propter ebrietatem voluntariam omittit sacrum, hic peccat peccato intemperantiæ distincto ab omissione sacri. Quis, ne legat horas, abjicit breviarium, quod unicum habet. Quis se accin-

De P
accingit iriner
audire non pe
tionum est
ctum: quia il
cum execution
potentem ad ill
impotentem est
non omnis, c
hoc agendum,
ctio igitur est c
potentem ad ir
facto est causa o
ctam malitiam
DICO, Si c
luntati, omis
Q. 71. a. 5. Q.
habet distincta
sufficit in confe
Probatum;
omissionem,
opponitur omi
tur ad peccatum
distinctum pec
actus, qui est c
luntiam non hab
luntiam ab omisi

Q
An omisio cu
tingens s

Quando qu
sequen
libera potestate
per aliquem ali
fecerit. Diff

accingit itineri, aut vacat venationi, in quâ sacrum audire non potest; talis abjectio brevii, aut venatio novum est peccatum ab omissione præcepti distinctum: quia isti actus non solum sunt impossibiles cum executione præcepti, sed reddunt hominem impotentem ad illud exequendum, sic autem se reddere impotentem est malum distinctum ab omissione; cum non omnis, qui omittit, se impotentem faciat ad hoc agendum, quod deberet non omittere. Quæstio igitur est de actu ex se bono, qui non reddat impotentem ad implendum præceptum, quia tamen de facto est causa omissionis culpabilis, an habeat distinctam malitiam ab omissione?

DICO. *Si causa vel occasio omittendi subjaceat voluntati, ommissio habet rationem peccati*, S. Th. hic Q. 71. a. 5. O. Sive actus qui est causa omissionis non habet distinctam malitiam ab omissione, ideoque sufficit in confessione se accusare de omissione.

Probatur: Actus, qui solum est malus propter omissionem, nec opponitur alteri virtuti, quam cui opponitur ommissio, & qui per modum causæ ordinatur ad peccatum omissionis consummandum, non est distinctum peccatum ab omissione; atqui talis est actus, qui est causa vel occasio omissionis aliunde malitiam non habens. Ergo non habet distinctam malitiam ab omissione.

QUÆSTIO IV.

An ommissio culpabilis in somno vel ebrietate contingens sit in seipsâ formaliter peccatum?

Quando quis eo tempore, quo præceptum esset exequendum, non habet omissionem in suâ liberâ potestate; ut: si tunc dormiat vel sit ebrius aut per aliquem alium actum se culpabiliter impotentem fecerit. Difficultas est: utrum talis tunc solum peccat

carit peccato omissionis, quando dedit causam, vel se impotentem reddidit; vel an etiam tunc peccet formaliter, quando occurrit tempus implendi præceptum, quod tunc propter impotentiam implere non potest?

DICO. *Præcepta affirmativa non obligant ad semper sed ad tempus determinatum, & pro illo tempore peccatum omissionis incipit esse... unde dicendum est, quod omisso incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam præcedentem, ex quâ omisso sequens redditur voluntaria.*
S. Th. 2. 2. Q. 79. a. 3. ad 3.

Probatur: Peccatum omissionis consistit in privatione actus debiti, seu in eo, quod quis non agat illud opus, quod posset & deberet agere; atqui talis privatio non est, quamdiu non adest tempus implendi præceptum; peccatur quidem eo tempore, quo causa omissionis culpabiliter datur, quæ ideo habet malitiam omissionis, cujus est causa. Nihilominus ipsum omissionis peccatum tunc non completur; sicut enim aliquis quidem est reus homicidii, quando sciens & volens dat causam occisionis, non tamen homicidium consummatè committitur, nisi quando quispiam occiditur. Ita peccatum omissionis quasi inchoativè fit eo tempore, quo causa omissionis culpabiliter ponitur, consummativè verò & executivè, quando adest tempus implendi præceptum; ideo si quis, dum instat tempus sacri audiendi, voluntariè obdormit, reus est omissionis propter causam voluntariè positam; si tamen casu evigilet, & sacrum audiat, non omisit sacrum, nec peccavit completè peccato omissionis; adeò ut: si annexa esset omissioni excommunicatio, illam non incurreret. Si autem ita evigilans sacrum non audiret, graviùs peccaret priorem voluntatem continuando, vel novum peccatum

tum committendo.

Obj. 1. Quoties peccat, et impotentia

2. Disting. modo prævisum

in Con. vel sim N. qui sunt omissionis ille

esse implenda; debuit advertere

tempore sunt irunt, illorum censetur hæc o

Obj. 2. Tempus præceptum, est peccatum.

2. Disting. ter Con. virtus omissionis est voluntaria & illam volenti

Obj. 3. Ne tempus præceptum impossibile; consequenter

2. Disting. hypothese Con. quam malitiosam causa liberè potest

peccatum, non habet novam hoc, quod futurum, quatenus jam consummatum

tum

tum committeret, voluntatem omittendi reiterando.

Obj. 1. Qui suâ culpâ in morbum incidit, non toties peccat, quoties opus præceptum in tali morbo ex impotentia omittit.

ꝛ. Distinguendo quoties opus præceptum nullo modo prævisum in tali morbo ex impotentiâ omittit Con. vel formaliter vel interpretativè prævisum N. qui suâ culpâ se impotentem facit, fit reus omissionis illorum præceptorum, quæ advertit sibi esse implenda, aut ad quæ humano modo potuit & debuit advertere. Quantum ad illa, quæ longiori tempore sunt implenda, vel quæ per accidens occurrunt, illorum non fit reus: quia humano modo non censetur hæc omnia potuisse & debuisse advertere.

Obj. 2. Tempore, quo quis impotens est implere præceptum, omissio non est voluntaria; ergo non est peccatum.

ꝛ. Distinguendo ant. non est voluntaria actualiter Con. virtualiter & interpretativè in suâ causâ N. omissio est voluntaria: quia omissionis causam voluit & illam volitionem nondum retractavit.

Obj. 3. Nemo tenetur ad impossibile; atqui implere præceptum tunc, quando quis est impotens, est impossibile; ergo non tenetur implere præceptum, & consequenter omittendo impletionem non peccat.

ꝛ. Distinguendo mi. est impossibile absolutè N. ex hypothesi Con. potuisset omittens non ponere causam, quam malitiosè posuit, licet jam facere non possit, ut causa liberè posita non sit posita. Ideoque omissio est peccatum, non quidem novum peccatum, quod habeat novam malitiam præter eam, quam habet ex hoc, quod sit voluntaria in causâ. Sed est peccatum, quatenus prior voluntas durat, & ex eâ fit, ut jam consummetur malitia.